



PROLEGOMENA.

CAPUT I.



ùm homines à natura proni reperiantur ad malum, nec semper sua sponte id, quod justum est, & honestum, agant; verùm perverſis incitati affectibus delinquant, niſi vi quadam extrinſecâ à proposito delinquendi retrahantur: Ideò prudentes Legumlatores duobus modis voluerunt delinquentium malitiæ ire obviam: (1) *Premiis invitandò bonos ad vitæ honestæ continuationem;* ita, ut qui hætenus vitam rectam & laudabilem gesserunt, præmiis ad ulteriorem vitæ honestatem invitentur. Ita Symmachus ait; *Boni in virtutis studio conservantur præmiis civilibus.* Neq; obstat, quod dicitur: *Unumquemque obligari ad agendum id, quod est bonum ac honestum: & ad vitandum illud quod est vitiosum & turpe: Ad quod autem quisque obligatur, ad illud, ut præmiis invitetur, non est necessum.* Nam Resp. quantumvis hoc verum sit; constat tamen 1. Tam depravatam esse naturam humanam, ut sua sponte feratur potius in malum, quàm in bonum, atque ita quodam modo opus sit, externa quædam adhibere media, quibus ipsi à malis retrahantur, & ad bonum invitentur. Quod inter alia fit *conferendò præmia illis, qui legibus virtutis vitam duxerint conformem.* 2. Obligatio illa naturalis ad vitandum turpe & agendum honestum sæpe oblitteratur in hominibus: cum ipsi suo arbitrio relictæ, potius id, quod placet, agant, quàm ut Obligationis rationem habeant. Itaque præmiis sunt invitandi, ut agant illud, ad quod aliàs sunt obligati. Quod quidem *non est simpliciter & absolutè necessarium*, quandoquidem omnibus incumbit necessitas honestè vivendi ex jure naturali: Verùm illud est *ex hypothesi necessarium*, quatenus illud, ad quod ipsos ratio officii vel de-

A

bitum